DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PUERPERARUM FEBRE.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PUERPERARUM FEBRE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES THATCHER,

ANGLUS,

SOCIETAT. REG. MED. EDIN.
SOC. EXTRAORD.

VIII. Calend. Jul. horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1806.

PATRI OPTIMO,

FRANCISCO THATCHER, M. D.

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAT

DISCIPULUS

AC

FILIUS.

NECNON,

VIRO CLARISSIMO,

JACOBO HAMILTON, M. D.

IN HAC ACADEMIA

ARTIS OBSTETRICII

PROFESSORI,

MULTA OB BENEFICIA

IN EUM COLLATA,

GRATI ANIMI TESTIMONIUM,

HANC DISSERTATIONEM

D. D. DQUE

AUCTOR.

DENIQUE,

REVERENDO ADMODUM VIRO,

JOANNI LUXMOORE, S. T. D.

ECCLESIÆ CATHEDRALIS GLOCESTRIÆ

DECANO;

HOC TENTAMEN,

ANIMI

BENEFICIORUM PRÆTERITORUM NON IMMEMORIS

PIGNUS,

OFFERT

JOANNES THATCHER.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PUERPERARUM FEBRE.

PROŒMIUM.

MORBUS, de quo mihi consilium est pauca scribere, quippè cùm nonnunquàm puerperarum plurimas interimat, dignus in primis est, ad quem salutiferæ artis studiosi summâ animos curâ advertant. Nisi enim didicerint, quibus signis hanc pestem, quâ nihil sanè fatalius, cognoscant et distinguant; non solùm in graves errores incident, quo ni-

hil medico turpius, ſed et ignorabunt, quâ ratione teneris subveniant matribus, ipsasve morti ereptas teneri proli conservent.

Hunc ipse morbum observavit HIPPOCRATES: et, etiamsi nullum ei proprium nomen dixerit, propria tamen signa, quæ ipse notaverat, satìs luculentèr descripsit; auctoribus verò, si qui ante eum scriptis memoraverant, silentio præteritis.

Ex quo tempore florebat HIPPOCRATES, multi, nobiles in primis, et præclari auctores, febrem, quam persequimur, scriptis aptiùs fusiùsque agitârunt. Hos inter auctores præeminet STROTHERUS: qui in libro, quem, anno post CHRISTUM natum millesimo septingentesimo decimo octavo editum, *CRITICON FEBRIUM* inscripsit *, *PUERPERARUM FEBREM* appellavit; sic distinguens ab aliis morbis, in quos inter puerperium incidunt mulieres.

Morbum, quem tractamus, plurimi medici neglexerunt; perpauci tantùm descripserunt, et hi quidem parùm accuratè. Ejus enimvero

* *Vid.* EDUARD. STROTHER. cap. ix.

vero vixdùm nomen est, quod inter omnes innotuit et invaluit. Hi *PURGATIONUM OBSTRUCTIONEM* dicunt; illi *INFLAMMATIONEM UTERI*. alii *PURGATORIAM FEBREM* nominant; alii *POSTVENIENTES*, *SUBSECUTOS*, seu *SUCCEDANEOS DOLORES*. Inter BRITANNOS SEPTENTRIONALES *EPHEMERA LACTEA* * appellatur.

Hæc verò nomina parùm conveniunt. Cùm in *peritonæi* inflammatione consistat, et puerperas tantùm afficiat, rectiùs inscribitur *PERITONITIS PUERPERARUM*. Sic distinguitur ab eâ *peritonitide*, quæ à CULLENO definitur: "*Pyrexia; dolor abdominis, corpore erecto auctus; absque propriis aliarum phlegmasiarum abdominalium signis* †."

CAP. I.

* Vernaculo sermone incolæ *WEED* nominant.

† *Vid.* CULLEN. *Synops. Nosolog. Method.* tom. ii. gen. XIV.

CAP. I.

DE SIGNIS.

Peritonitis puerperarum facillimis partubus, pariter ac difficillimis, supervenit. Divitibus æquè infesta est, pauperibus æquè. Neque ullo anni tempore, quàm alio, frequentiùs viget et invalet.

Quoniam verò, quæ ptochotrophiis pariunt, eas priùs et acerbiùs invadit, quàm quæ in privatis domibus; primò, quibus illas malis, deindè, quibus has affligat, breviter exponam.

Primo, secundo, tertiove post partum die, at secundo sæpiùs, puerperam horrores percurrunt: et abdomen dolet, primùm leniter, sed haud multò pòst adeò vehementèr, ut vel vestimentorum et levissimi tactûs impatientissimum sit. Primò solito mollius est; nonnunquàm verò admodùm intentum. Plerumquè à morbi initio haud magis tumet, quàm post partum solet. Ægra piget moveri, et non vult, nisi supina, cubare. Cutis neque inflammata videtur, neque decolor.

Quòd

Quòd ad horrores attinet, inter se dissentiunt DENMANUS et HULMIUS. Quò graviores sunt, eò, secundùm illum auctorem, gravior futurus erit morbus *. Hic contrà contendit, horroribus nihil prorsùs credendum; cùm interdùm leves, vel omninò nullos horrores consequatur ingens vis morbi, et aliàs levis morbus gravissimos horrores †.

Hanc tantam, magnos inter auctores, litem componere, nostris annis nequaquàm convenit. Verùm, quantùm tamen nos docuit experientia, dux medicorum et cætorum quidem philosophorum fidissima, non possumus, quin HULMIO potiùs assentiamur; eòque magis, quòd medici certò cognitum habeant, interdùm accidisse, ut ægræ horroribus interiverint.

Aliquandò dolor in utrisque simul ilibus inhæret. Sæpè tamen horum unum dolet graviùs altero. Nonnunquàm dolor in regione

* Vid. DENMAN. *Essay on Puerperal Fever*, pag. 8.

† Vid. HULM. *Essay on Puerperal Fever*, pag. 3.

gione ventriculi est: aliàs cordis scrobiculum, ex transverso, urget; deinque hinc, brevium costarum viâ, spinam usquè intendit.

Hujusmodi dolores, perindè atque quos movent parturiendi nixus, à lumbis et ventre identidem in pelvem et femina intendunt. Miseranda puerpera hâc similitudine decepta, et etiamnum nescia quàm immanis morbus invaserit; credit, succedaneos tantùm dolores esse, qui partum subsequantur, speratque, fore ut brevi decedant. Fallace spe fretæ, cùm ipsa, tum quæ assident ut mollem ei ministrent opem, moras nectunt; neque terreri antè incipiunt, et medicum adhibent, quàm, omissâ occurrendi occasione, morbus eò increverit gravitatis, ut medicina parùm, vel omninò nihil, ad sanandum valeat.

Jam usquè à morbi initio, sinciput supra orbitas dolet, simulque vexant vertigo et vigilia. Urget sitis. Lingua plerumquè albida est, rarò sordida; tactui levis, et mollis: nonnunquàm, in totam longitudinem, à mediâ parte, rubra et arida est; utrobiquè albida, et mollis: aliquando, usquè ad mortem, albida est, ac mollis; sed multò sæpiùs aliquantò

quantò ante fit sicca, scabra, neque rarò ex fuscâ sufflava.

Os suffusum modico rubore est. Vultus lugubris animum futuri anxium et meticulosum indicat. Oculi, amisso prorsùs nitore, mutu aspectu desperatum morbum, amissamque salutis spem, significantèr prænunciant. Albidus labia circumit pallor.

Cutis, etiamsi plerumquè parùm incalescit, interdum calida et sicca est. Nonnunquàm, adveniente accessione, sæpiùs verò decedente, sudor corpore æqualitèr omni erumpit.

Morbi principio arteriæ, lenitèr incitatæ, à centies ad centies et decies, sexagesimâ horæ parte, micant. Increscente verò morbo, acriùs instigatæ, eodem temporis spatio, à centies et decies ad centies et vicies, pulsant ; neque sanè rarò, centies et tricies. Imò, ut admoto iis digito cognovi, earum nonnunquàm motus celiores sunt et frequentiores, quàm ut numerari possint.

Magnâ quoque spirandi difficultate urgetur ægra ; de quâ sæpè plùs conqueritur, quàm de ventris dolore. Initio anhelat seu suspirat,

rat, potiùs quàm spirat; ut solent ægræ, quæ, præ dolore, singulis vicibus tantum spiritum nequeunt haurire, quantus ad vitam alendam et conservandam requiratur. Quò gravior vel mitior dolor est, eò major vel minor spirandi difficultas.

Spirandi tamen difficultas, quâ puerperæ *peritonitide* ægræ premuntur, non tam oritur ex anxietate, quam excitat sanguis in pulmonibus non ritè mutatus, et desiderio spiritum ducendi, quo mutetur; quàm metu, ne jam detruso septo transverso, jam contractis abdominis musculis, inflammata *peritonæi* pars, visceribus compressa, intolerabiliter doleat.

Hoc morbo ægrotas, ut aliis, in quibus præ spiritu difficili obstatur, quò minùs per pulmones expeditè transmittatur sanguis, urget nonnunquàm tussis; at tùm maximè, ubì spirandi labor est gravissimus. Aliàs, perindè ac fortuita febris nota, prorsùs abest.

Ægræ sæpè nauseâ vexantur, neque enimvero rarò sufflava quædam, vel subviridia, evomunt, vel, sub morbi finem, subnigra *coffææ* recrementis consimilia. Mammæ, ante

te febris initium munifices, post minæ fiunt. Urina roseo rubore est, et defrigescens, lateritii aliquid dimittit. Redditur jam parcior, jam copiosior, et, donec semel bisve fluxerit alvus, magnâ cum difficultate. Frigescens, præter lateritiam, jam dictam, naturam, quæ, in imum delata, scaphio adhæret, alia dimissa urinâ subnatat.

Purificæ puerperarum fluxiones plerumquè naturales sunt, neque, nisi fortuitâ aliquâ causâ, aliæ, atque optatò revalescentis. Verùm interdùm tamen, ut nonnulli dicunt se cognovisse, tardantur, earumque color ex rubicundo in nigrum languescit.

Quanquam usquè à febris initio dolet caput, puerpera tamen suæ mentis est, ferè usquè ad mortem.

Sanguis ex venâ emissus solito glutinosior est ; et, ubì defrigescit, concreta ejus pars flavo sero innatat.

Ineluctabili tempore adveniente, genæ et tempora collapsa, concavi oculi, acutus nasus, pallida labia, minutæ oris notæ, delirium, septi transversi nervorumque singultus,

gelidus extremorum algor, subita ventris dolorum requies, vanam spem, impotentem medicinam, pallidam inexorabilemque, in propinquo mortem testantur. Nonnunquàm, at rariùs, magnis cruciatas angoribus morbus superat.

Domi autem quæ puerperæ febre, de quâ scribimus, implicantur, eas tanta neque vis malorum, neque acervus opprimit. Misera, septimo primùm post partum die, horroribus agitata, recusat appetenti infanti mammam admovere. Subsequuntur alvi fluxus, atque urinæ difficultas. Utì morbus seriùs adoritur, et minùs vehemens est; ità diutiùs producitur, lentioreque gradu tendit in salutem aut mortem.

CAP. II.

CAP. II.

DE MORBIDIS, QUÆ, IN DEFUNCTIS PATEFACTIS, OCULIS OBVENIUNT.

Inciso abdominis pariete, statim exsilit spiritus fœtidus; et, in *peritonæi* sacco, humoris, vaccini lactis sero similis, plus minus invenitur. Intestina, plerumquè inflammata et spiritu distenta, inter se conglutinantur; atque adeps, vel saltem natura adipi persimilis, eorum flexus hìc illìc interjungit. *Peritonæum* item oculis obvenit inflammatum, interdùm et *gangrænâ* affectum. Omentum perindè videtur, ac si, ante spiritûs corporisque dissociationem, morticinum evassisset, aut propè fuisset ut suppuraret. Incisum effundit fœtidum humorem, quem in cavernulis videtur continuisse. Nonnunquàm, in rugas adductum, magno sinuati intestini arcui superjacet; vel solito demissius, in pelvem usquè, pertinet.

Hepar

Hepar rarissimè morbidum observatur. At nonnunquàm tamen mole ingens conspicitur. Aliquandò, dum cætera sanum, in loborum dextro detegitur abscessus magnus, inodoro plenus humore, in quo hydatides innatant.

Uterus plerumquè sanus in pelve jacet, in naturalem magnitudinem contractus. Verùm aliquandò tamen videtur fuisse morbi particeps.

Pulmones, quamvis specie morbidi, re tamen sani sunt. Apparent, ex parte, collapsi; propterea quòd spirandi dolor, quo, ut suprà memoravimus, ægra, dum manebat vita, laborabat, non permittebat ut spiritum haurirent, quantus satìs distenderet. Dummodò anteà sani fuerint, puerperarum forsan febris rarissimè facit, si unquàm, ut inflammationem concipiant.

Unius tantùm puerperæ, quantùm novi, febre interceptæ, ovaria morbida inventa sunt.

CAP. III.

CAP. III.

DE DIAGNOSI.

De hâc rei nostræ parte, haud opus erit multa dicere; cùm præsertìm signa tam fusè narraverimus. Satis igitur ad rem erit morbos perstringere, quibuscum puerperarum febrem confuderint scriptores, et pauca tantùm addere, quibus hæc illis dignoscatur. Morbi autem, quos pro febre, quam persequimur, medici habeant, sunt *dolores succedanei*, *ephemera lactea*, *miliaria*, *ileus*, *enteritis*, *cholera*, *hysteritis*: de quibus ordine pauca dicenda sunt.

Postvenientes dolores sunt salutifera conamina, quibus alma natura deplet vasa sanguine; qui, ante partum, fœtui suggerebat, undè suum promeret nutrimentum. Quanquam, ne fluxus sanguinis nimius sit, et puerperam in discrimen adducat, paulatìm se contrahit

trahit uterus; at, per aliquot tamen dies, ex patulis arteriarum surculis modicum sanguinem exstillando, se deplet et purgat. Dolores, quos movent nixus uteri ad purgationes necessarii, ut jam interquiescunt, jam redeunt, et rarò graves sunt, ità febre non stipantur. In puerperarum verò morbo, quem persequimur, ingens vis febris est, et vel levissimus tactus intolerabilem ventris dolorem excitat.

Ephemera lactea urgente, sed puerperarum febre non item, mammæ intentæ et plenæ sunt, intendentibusque se per eas doloribus vexantur. Contrà, hâc febre implicitarum, illâ verò non item, venter gravitèr dolet, vel levissimi tactûs impatiens.

Miliaria laborantium cutis perpruriscit, dein insudat et acidum perolet, tùm papulis efflorescit; atque mens multùm perturbatur: sed neque dolet venter; neque urina eodem rubore est, atque ea *peritonitide* implicitarum; neque animus tam labat.

Ileo dignoscatur *peritonitis*, quippe cùm, hoc morbo urgente, dolor in imâ ventris par-

te

te inhæreat, simulque latiùs pateat. Quinetiam ægra irrequieta jactat se; et, quo dolorem mitiget, ventri manum admovet. Alvus porrò soluta est, aut solutu facilis.

Enteritis, siquandò inter puerperium accedit, *peritonitidem* multùm refert. At verò, cùm, *præter sanguinis missionem*, eadem utrisque conveniant medicamenta et remedia, eas internoscere haud multùm interest.

Cholera, quippe quâ ægræ nullâ febre laborent, sed, gravissimis torminibus cruciatæ, biliosa infrà transmittant, haberi non potest pro *peritonitide*; quâ correptæ, acutâ exercentur febre, dum earum alvus neque verminibus affligitur, neque biliosa excernit.

Hysteritidis sedes, at *peritonitidis* verò non, in solo utero est, ut cognoscere possumus extrinsecùs manum admovendo. In hoc porrò morbo, in illo verò non, purificus uteri fluxus inhibetur.

CAP. IV.

DE CAUSIS.

Proclivitas in morbum, quem agitamus, videtur in comparativâ *peritonæi* arteriarum debilitate consistere; propter quam sanguinem tardiùs transmittant, quàm in ipsas impellatur.

Inter graviditatem distentus uterus, et, inter parturiendum, tam uterus, tam abdominis musculi et viscera, *peritonæum* comprimunt; ejusque arterias adeò infirmant, ut sanguinem expeditè transmittere nequeant. Edito fœtu, et sublato sic pressu, sanguis in *peritonæi* arterias, quippe iis cæteri corporis imbecilliores, pleniore rivo influit, quàm ut in venas transmittere possint. Hinc sanguine, ultra reliqui corporis arteriarum modum, plenæ et turgidæ, aptæ in primis sunt, quarum inflammationem vel leves causæ moveant.

Excitantes

Causæ Excitàntes.

Excitantes puerperarum febris causæ, nequaquàm ubiquè, et in omnibus, eædem sunt. In valetudinariis haud dubium est, quin excitetur tabe sui simili, quæ aut aëre circumfluo, aut corporum contactu, aut ministeriis in vicem, vulgatur.

In privatis domibus morbum excitant causæ: quæ pressu impediunt, quò minùs immissus in imbecillas *peritonæi* arterias sanguis expeditè permanet; velut arctæ fasciæ, abdomini post partum circumjectæ: quæ cordis arteriarumque motus incitant; nempè conclavia calida, plurimæ vestes, potus calidi et meraciores, turbati animi motus: quæ cutis halitum inhibent, impediuntve, ne sanguis in summum corpus æqualitèr distribuatur; sicut frigus, humida vestimenta, animus undecunquè demissus, aër insalubris, inertia. Hùc adde suppressum purificum uteri fluxum, còntusiones, vulnera; et, ut putat Whitius, Man-

CUNIENSIS, acre quid ex matrice absorptum *.

Causæ Proximæ.

PROXIMA de causâ, utì dicitur, seu morbi naturâ, omnes aniles opiniones excutere, non mihi consilium est. Eas tantùm à claris auctoribus editas, proponere, ad rem nostram satis erit.

Hujusmodi autem opiniones omninò tres sunt. Contendit WALSHIUS, proximam *puerperarum peritonitidis* causam esse *typhum*, tantummodò puerperio modificatum. Censent plerique medicorum in continente EUROPÆ terrâ, DOULCETIUS in primis, esse lactis translationem. Potiùs habendam *peritonæi* inflammationem, HULMIUS et LEAKIUS existimant. De his deinceps opinionibus pauca dicenda erunt.

PRIMA

* Vid. WHIT. *Treatise on the Management of Pregnant and Lying-in Women*, pag. 25.

Prima pro opinione arguit Walshius, virium defectionem, insignem cerebri nervorumque debilitatem, cæteraque graviora mala, *typho* communia esse cum *peritonitide*: eodem interdùm in loco, utrosque simul morbos pestilentes grassari: denique iisdem utrosque oriri causis.

Verùm, contra hæc argumenta, dicatur: tantam his morbis signorum communitatem, quantam assumpserit Walshius, alios auctores, accuratos et satìs fidos, nec observâsse nec concedere: utrosque simul morbos interdùm ibidem pestilentes, ministeriis in vicem, vel contactu vulgari; id, quod ex duabus mulierum, puerperis *peritonitide* ægrotis, in valetudinario olim Edinensi, assidentium, *synocho* affectis, perperàm concludit; ipsius Youngii, tunc obstetricii professoris, commentariolis, quæ hodiè penes Hamiltonium, ejusdem ibidem artis doctorem, in hac Academia, sunt, et ex quibus constat, magnâ tantùm debilitate ex assiduâ curâ affici assidentes, satìs supèrque refelli: nihildum cognitum esse, quamobrèm, utrosque morbos iis causis nasci, concedamus: et,

et, quod reapse WALSHII opinionem prorsùs evertat, *simplicem nonnunquàm typhum puerperas invadere.*

SECUNDA opinio, proximam nempè puerperarum febris causam esse lactis translationem, inter omnes ferè medicos continentis EUROPÆ terræ, invaluit, et, quantum scimus, hodiè invalet. Pro hâc, ut fortis et strenuus primipilus, omnibus nervis propugnat DOULCETIUS: propterea inductus, quòd morbi accessu flaccescant mammæ; quòd humor, ex patulis arteriarum surculis in *peritonæi* saccum effusus, serum lactis sit; et quòd, morbum decessurum esse, primùm indicant mammæ denuò lacte turgescentes.

Contra ea, contendimus: *peritonitidem* nequaquàm unicum puerperarum morbum esse, quo, sine translationis indiciis, flacceant mammæ: effusum in *peritonæi* saccum humorem, omninò non serum lactis esse, (ut ab experimentis D[ris] PEARSON luculenter apparet), quamvis DOULCETIO concedamus eum lactis serum multùm referre. Deniquè, omnes puerperarum morbos eâ naturâ esse, ut, remittere, et

et ad salutem inclinare, mammæ primùm ostendant munifices.

Tertiam opinionem defendunt Hulmius et Leakius, continentem scilicet puerperarum *peritonitidis* causam esse *peritonæi* inflammationem. Permirum est, medicøs hanc non opinionem olim accepisse; eòque magis, quòd eam *enteritidem* multùm referat, quâ debiles aliquandò senes afficiuntur. In errorem, eò, ut nobis videtur, inciderunt, quòd, patefactis defunctarum puerperarum cadaveribus, efficientem pro effectu causam perperàm haberent.

Contrariis tam opinionibus quàm argumentis, inter se collatis, inductus sum, ut credam, puerperarum febrem consistere in debilitati *peritonæi* inflammatione, quæ eam, quam movet erysipelas, naturâ referat.

CAP. V.

CAP. V.

DE PROGNOSI.

Medicos summâ ope cavere oportet, ne, de futuro morbi eventu percunctantibus aut vanam spem, aut inutilem metum, injiciant. Ne hoc faciant, debent secum reputare, quo in loco res se habeant; tempestivè, necne, ipsi advocati sint: et animadvertere, quæ, et quanta quantulave mala, ægram urgeant.

In *PTOCHOTROPHIIS*, puerperarum, hâc febre affectarum, longè maxima pars interit. Namque, ut apparet ex tabulis puerperarum, quas LUTETIÆ PARISIORUM * et LUGDUNI CELTARUM in ptochotrophiis *peritonitis* invadit, non quinta ampliùs pars servata est.

Puerperis verò, quas *DOMI* afficit, *peritonitis* non æquè lethalis est. Eò, ut contendit CLARCIUS,

---

* In ptochotrophio, quod ipsorum linguâ *HOTEL DIEU* GALLI appellant.

CIUS, DUBLINIENSIS, periculosior est, quò gravior ventris dolor, quò diutiùs perstitit, et quò pejùs fert ægra. Certiùs autem de morbo præsagiri potest *ex arteriarum motibus.* Nam, quò celeriùs, imbecilliùs, et inæqualiùs moventur, eò in majore discrimine ægra versatur.

Leve, ut nonnulli putant, morbi testimonium est; si sudores per totum corpus æquales erumpunt; si urina sedimentum deponit, et fluit alvus. At hujusmodi tamen sudoribus et urinæ non multùm credendum est, quippe quibus morbus rarissimè solvatur. Alvi quidem fluxu discuti, haud adeò rarum est. Sed ne huic quidem fluxui omnia credere oportet: quippe nonnunquàm, post hunc, mala adeò insidiosè remittunt, vel conquiescunt; ut ægra, quamvis gravior ei instet morbi accessio, revalescere videatur.

Quum ità sit, medicum non solùm assiduè omnes notas ex vultu ægrarum perspicere oportet; sed et identidem, qualitèr ordinatæ sint arteriæ, explorare, et, proùt hæ incitantur

aut

aut languescunt, puerperis, quæ stimulent medicamenta, negare aut concedere.

CAP. VI.

DE CURATIONE.

Ubi in PTOCHOTROPHIIS inter puerperas pestilens *peritonitis*, ministeriis in vicem, corporumve contactu, ipsâve curatione vulgata, grassatur; medici, ante omnia, id agere debent, ut tabum pestiferem quamprimùm extinguant. Oportet igitur jam, per apertas fenestras, aëra purum et salubrem in puerperarum receptaculum intromittere; jam hoc suffire vaporibus, qui putredini obstent.

Dum puerperarum febris in ptochotrophio PARISIENSI pestilens, et deletrix in primis, erat, DOULCETIUS opinatus est, se *ipecacuanam* præsentissimum huic morbo medicamentum invenisse. Præcipiebat igitur, ut, statìm post morbi accessum, scilicet dum ægra horrebat, septem hujus medicamenti pulveris grana

grana assumerentur; et, primo die, secundâ quâque horâ repeterentur; itemque postero, etiamsi febris jam conquieverit.

Proficeret necne *ipecacuana*, expertus CLARCIUS, DUBLINIENSIS, est, datâ iisdem dosibus et intervallis, quibus ipse DOULCETIUS. Ad spem verò nequaquàm respondit. Verisimillimum quidem est, puerperas, quibus tantùm profuisse compertus sit DOULCETIUS, non *peritonitide* laborâsse, sed *ephemerâ lacteâ*. Hæc enim febris, similitèr atque illa, à horroribus incipit; neque, statim post hos finitos, potest vel medicorum sagacissimus præscire, futurus ne morbus sit *ephemera lactea* an *puerperarum peritonitis*.

Cùm puerperæ, DOMI *peritonitide* affectæ, medicum adhibent, hunc oportet, si opportunè arcessatur, inflammationis vim sedare; sin minùs, vires sustinere, et urgentia levare mala.

PRIMO CONSILIO, utile erit abdomen extrinsecùs fovere calidâ aquâ, sive purâ, sive ex chamæmeli floribus decoctâ. Alterutrâ aquâ duo lanea alternatim madefacienda sunt; et,

defrigescente sublato, calidum alterum dolenti ventri superimponendum.

Eundem in finem, oportet lotionibus laxantibus subtèr inditis alvum subducere, simulque, ut primus suasit FORSTERUS, DUBLINIENSIS, refrigerantibus catharticis, salinis nempè, movere; ut irritantia omnigena quamprimùm infrà transmittat.

Quoniam autem medicus sæpè non advocatur, donec inflammatio eò increverit gravitatis, ut ægra in magno jam periculo versetur; proximum est, ut, quibus tùm medicamentis et remediis ægræ opituletur, quàm brevissimè exponamus.

Alvi fluxum, si modò sponte supervenerit, quippe cùm sæpè salutiferum docuerit experientia, utile erit humoribus fovere, qui alvum aliquantulùm molliant. Hujusmodi sunt commistæ aquæ, ex *tamarindis* et sennâ decoctæ; aqua decocta ex avenaceâ farinâ, vel gallinaceo pullo.

Vomitus, cùm faciat, ut inflammatum *peritonæum* inter abdominis parietes et viscera gravissimè comprimatur, sicque ingravescat

morbus,

morbus, quàm opportunissimè sedandus est. Idonea, quæ sistant aut collevent, sunt, *citras potassæ;* medicamenta, quæ leniter cutis halitum eliciant; itidemque fomenta, et exulceratoria emplastra *toti abdomini inducta.*

Nonnulli medici *puerperarum peritonitidis* curationem omninò crediderunt aut catharticis, aut vomitoriis, aut cutis halitum evocantibus, aut sanguinis missioni.

Cathartica quidem mitiora, quippe quæ sordibus alvum evacuent, huic haud parùm inflammationi proficiunt. At acriora, cùm cordis arteriarumque motus incitent, neutiquàm conveniunt.

Vomitoria, quamvis magnis ea laudibus efferat Walshius, mihi tamen ambigua medicamenta videntur; cùm præsertìm vomitus, sponte ortus, morbum multùm aggravet.

Halitum cutis elicientia, quippe cùm sanguinem in cutem æqualitèr omnem evocent, aliquantùm sanè prosint; nisi ejusmodi sunt, ut, corde primùm arteriisque nimìs concitatis, universum dein corpus magnoperè debilitent.

Sanguinis

Sanguinis detractio, utilis necne sit puerperis *peritonitide* affectis, inter auctores disputatur.

Hulmius, licèt ei curationem non credat, putat tamen accidere interdum posse, ut sit utile subsidium. Gordonius, abredonensis, existimat, puerperis *peritonitide* ægris sanguinem detrahere, efficax esse remedium. Sed, ni multùm fallimur, ùteri inflammationem, pro *puerperarum peritonitide*, habet; et, quod illi morbo sit bonum remedium, idem huic convenire sibi persuadet.

Nostrâ verò opinione, utì inter puerperium *peritonæi* inflammatio oritur ex arteriis languidè se, magis quàm enixè contrahentibus, *ità sanguinem detrahere, non est morbo mederi, sed ægram jugulare.*

Secundo consilio, si sit, quarè credat medicus, jam effusum in *peritonæi* saccum humorem esse, potest nihil ampliùs quàm vires sustentare, et graviora mala lenire.

Quibus sustententur vires, efficacissima sunt, nutrimentum leve, vinum, aër salubris, *æther sulphuricus*,

sulphuricus, ammoniaca, *cinchonæ cortex*, *æther nitrosus*.

Quò effusus humor resorbeatur in sanguinem, dein, hinc hinc per renes secretus, per urinæ itinera corpore excernatur, nonnulli *digitalem* assumendam curârunt; inducti, ut experirentur, quia, per ingens urinæ profluvium, Natura se effuso in cavum humore semel exoneravit.

Tabaci aqua aut fumus, in alvum ex inferiore parte immissus, huic morbo, ut *enteritidi* et *herniæ*, aliquantùm profuisse videtur.

